DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

SISTENS

OPTIMAM HAEMORRHOIDES SANANDI METHODVM,

QVAM
SVB AVSPICIIS SVMMI NVMINIS
ET
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
PRAESIDE
DOMINO

D. ANDREA ELIA BVCHNERO,

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMO BORVSSIAE REGI A CONSILIIS INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE
ET COMITE PALAT. CAESAREO,
FACVLT. MED. H. T. DECANO SPECTATISSIMO,

PRO LICENTIA

SVMMOS IN MEDICINA HONORES ET PRIVILEGIA
DOCTORALIA LEGITIME IMPETRANDI
AD D. MART. A. S. R. MDCCXLVII.
PVBLICE DEFENDET

AVCTOR
WOLFGANG SAMVEL GRAEF,
SAXO-GOTHANVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
TYPIS IO. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

SISTENS

OPTIMAM HAEMORRHOIDES SANANDI METHODVM.

PROOEMIVM.

Inter tot morbos, quibus obnoxia ſunt corpora humana, illi haud poſtremum locum occupant, qui natales ſuos ex ſanguine ducunt, vtpote quos reliquis & frequentiores, & periculoſiores eſſe, experientia docet. Quum enim pauciſſimi mortalium tale vitae genus ſibi commendatum habeant, quo in illorum corporibus conſtans quoddam aequilibrium

partium fluidarum ad ſolidas harumque legitimum robur conſeruetur, ſed potius ita viuant plurimi, vt plus ſanginis ſibi ingenerent, quam opus eſt ad vitam corporis bene agendam; neceſſe tum erit, vt fluidorum proportio ad ſolida tollatur, haec debilitentur, atque inde maximae in oeconomia vitali perturbationes ſummoque ipſius vitae periculo ſaepius ſtipatae, enaſcantur. Solent quidem in eiusmodi ſtatu corporis ſpontaneae ſanguinis fluxiones euenire, a quibus, ſi e locis congruis rite proceſſerint, haud exiguum corpori adfertur leuamen; ſed ſolent etiam facile ſubſiſtere haemorrhagiae naturales, tuncque ex earum ſuppreſſione grauiſſimae prognaſcuntur aegritudines. Generantur enim inde, praeter varios dolores & grauationes variarum partium corporis, ſtaſes, inflammationes, infarctus, obſtructiones, adeoque denſiſſima ſeges morborum chronicorum. Quae mala, ſi ab vlla alia haemorrhagia, certe ab *haemorrhoidibus* prouenient, quippe quarum fluxus leuiſſima ſaepius ex cauſſa facillime ſubſiſtit. Iam, quum vaſa haemorrhoidalia vaſis aliis ſanguineis, in viſcera abdominalia ſeſe terminantibus, connexa ſint, facile inde colligi poterit, quantis morbis corpora haemorrhoidariorum ſubiaceant, & quantopere idcirco limitata ſit illa haemorrhagiarum naturalium ſalubritas. Cogitanti igitur mihi, quodnam praecipue thema haud admodum vulgare in Diſſertatione mea inaugurali pertractarem, imprimis ſe commendabat hoc nomine *ſanatio haemorrhoidum*, ita inſtituenda, vt nulla

nulla quidem fluxus earundem, directe prouocandi, habita ratione, corporis tamen incommoda ab iisdem suborta tollantur, eidemque adflicto sua restituatur integritas. Optima haec certe erit methodus tractandi haemorrhoidarios, iuxta quam, sine molesta hacce excretione sanguinea, illis integram tamen valetudinem recuperare licebit. De cuius methodi possibilitate vt eo certius constaret, e re omnino fore videbatur, ante eiusdem enarrationem, haemorrhoidum naturam & originem prius explicare. In duo igitur capita praesentem tractationem abire iussi, quorum *prius* species & caussas haemorrhoidum, *posterius* vero iisdem medendi methodum optimam in se continebit. Faxit DEVS O. M. feliciter!

Capvt I.

De
Haemorrhoidum ſpeciebus & cauſſis.

§. I.

De vaſis haemorrhoidalibus.

Inſeruntur inteſtino recto arteriae & venae ſanguineae, quas nomine *vaſorum haemorrhoidalium* inſignire, atque haec in *interna* & *externa* diuidere ſolet ſchola medica. Referuntur autem ad vaſa haemorrhoidalia *interna*, partim *arteria haemorrhoidalis interna*, ramus ille haud exiguus, ex arteria meſenterica inferiori enatus; partim etiam *vena haemorrhoidalis interna*, prodiens a vena ſplenica & meſenterica inferiori. Vaſis haemorrhoidalibus *externis* adnumerari ſolent arteriae & venae, ex hypogaſtrica arteria & vena prognatae. Demittuntur itaque vaſa haemorrhoidalia interna, & quidem arterioſa, ab arteriae magnae trunco deſcendente; venoſa a vena portae. Vaſa

autem

autem haemorrhoidalia externa, eaque arteriosa, itidem a trunco arteriae magnae descendente proueniunt; sed quod ad venosorum originem attinet, hanc truncus venae cauae inferior proprie constituit. Iuuabit quoque hoc loco indicare, quod vasa haemorrhoidalia interna magis ad ipsam intestini recti substantiam vergant, atque in illius superficiem internam terminentur. Secus vero se id habet cum vasis haemorrhoidalibus externis, quippe quae ad oram & limbum ani, seu partes externas intestini recti, tanquam ad suos terminos, excurrunt. Vtraque praeterea vasa haemorrhoidalia aliis vasis sanguineis connectuntur, & quidem ita, vt interna illis vasis vnita sint, quae per intestina & viscera abdominalia disseminantur; externa autem cum illis vasis cohaereant, quae ad vesicam, partes genitales, nates, coxendices & femora abeunt. Dignum porro est, quod adnotetur, vtrumque scilicet vasorum haemorrhoidalium genus anastomosi quadam circa anum inter se iungi. De quibus omnibus Anatomici consulantur. *a)* Recensita huc vsque momenta de vasis haemorrhoidalibus, apprime inseruient, ad penitius introspiciendam naturam haemorrhoidum, earundemque phaenomena varia rite explicanda.

a) Excellent. HEISTERVS *in Compend. anatom. p. 158. 160. & 161.* SPIGELIVS *de fabrica corporis humani, Libr. VI. Cap. IV. Libr. V. Cap. VI. & VIII.* BARTHOLINVS *in Anatom. Libr. I. Cap. IV.*

§. II.

Sunt vero *haemorrhoides* excretio sanguinea, vel serosо-mucida, ex congestione sanguinis ad vasa haemor- *Quid per haemorrhoi-*

rhoida-

des in genere intelligendum sit?

rhoidalia suborta. Definitio haec est generica, adeoque talis, vt sub eadem omnes species haemorrhoidum contineantur. Ad eiusdem vero realitatem quod attinet, illam in dubium vocare vix licebit, quum abunde constet, non dari solum congestiones humorum, sed etiam multos morbos ab iisdem in corpore humano generari, variasque, pro circumstantiarum ratione, excretiones inde produci.

§. III.

Quid haemorrhoides internae & externae?

Edocet §. I. duplicia esse vasa haemorrhoidalia, *interna* nempe & *externa*. Poterit itaque congestio sanguinis ad vasa haemorrhoidalia tam interna, quam externa fieri. Hinc excretio, in casu priori suborta, *haemorrhoidum internarum*, in posteriori autem *externarum* nomine veniet.

§. IV.

Hæmorrhoidum fluentium, decolorum & albarum definitio.

Tanta esse potest sanguinis ad vasa haemorrhoidalia congestio, vt illa vna cum integumentis partium, quibus inseruntur, rumpant, purusque sanguis inde effluat; vel haec vasorum haemorrhoidalium apertio paulo augustior erit, vt non nisi aliquid sanguinis, & plus seri, tanquam partis in sanguine fluidissimae, ex iisdem egrediatur; vel in summe exigua dictorum reseratione, purus solummodo humor serosus exinde prodeat. Quando igitur primum euenit, vt nempe purus sanguis ex vasis haemorrhoidalibus excernatur, enascuntur inde *haemorrhoides fluentes*. Quodsi vero secundum contingat, vt serum pauco sanguine remixtum ex vasis haemorrhoidalibus erumpat, tum *haemorrhoides decolores* generantur. Si denique tertium accidat, adeoque purum serum ex vasis

haemor-

haemorrhoidalibus exſtillet, quae inde proueniunt, *haemorrhoides albae*, ſeu *mucidae*, dicuntur.

§ V.

Serum ſanguinis tantam concipere poteſt acrimoniam, id ſaepius docente experientia, vt in partibus ſolidis, ſanis etiam, quas contingit, pruritum excitet, puſtulas, immo fiſſuras generet. Eiusmodi ſeri excretio, ope haemorrhoidum albarum facta, *haemorrhoides ſerpiginoſas*, ſeu *ſerpiginem*, vel *ſudorem haemorrhoidalem*, producit. *Quid haemorrhoides ſerpiginoſae ſint?*

§. VI.

Neque minus fieri poteſt, vt ſanguis ad vaſa haemorrhoidalia, ſine vlla tamen eorundem ruptione, congeratur. Euenit hoc inprimis ob impedimentum, quod orificiis vaſorum haemorrhoidalium obiicitur, quale maxime conſiſtit in nimia craſſitie & rigiditate integumentorum, quibus dictorum vaſorum quaedam in inteſtino recto implantantur. Sed iam ex deſcripta ſanguinis ad vaſa haemorrhoidalia congeſtione oriuntur *haemorrhoides coecae.* Poſſunt porro ab haemorrhoidibus coecis integumenta vaſorum haemorrhoidalium ita ſimul inflari, vt haecce inflatio vel plane nullo, aut ſaltim perexiguo, vel admodum ingente dolore ſtipata ſit. Prius, ſi locum in corpore humano obtinuerit, tum *haemorrhoides turgentes;* ſin autem poſterius contigerit, *tumentes* adeſſe dicuntur. *Quid per haemorrhoides coecas, turgentes & tumentes intelligendum veniat?*

§. VII.

Iuuabit porro etiam quaedam hoc loco adferre, quae ad definitiones, de variis haemorrhoidum ſpeciebus huc vsque ſuppeditatas, magis illuſtrandas quicquam con- *Scholion concernens §. III–VI.*

ferre possunt. Communiter per *haemorrhoides fluentes* intelligi solent *internae;* per *coecas* autem *externae;* quod vero mihi haud satis accurate dictum esse videtur. Quamuis enim vasa haemorrhoidalia interna medium intestini recti ingrediantur, atque ad superficiem eius internam magis hient, vbi huius intestini tunicae non ita crassae & densae sunt, quam circa eius extremitatem, vt ideo haemorrhoides internae externis facilius plerumque ad perruptionem peruenire obseruentur: poterunt tamen alia esse impedimenta, vt scybala indurata, a quibus etiam internarum haemorrhoidum perruptio difficilis redditur, atque hic aeque oriri poterunt inflationes partium, ac circa haemorrhoides externas; quod etiam experientia comprobat. Qui enim haemorrhoidibus internis obnoxii sunt, illi saepe habent aluum siccissimam, & sensum percipiunt, ac si nucleus durus intra intestinum rectum haereat. Possunt itaque haemorrhoides internae etiam coecae fieri. *b).* Quia vero vasa haemorrhoidalia externa ad limbum intestini recti, adeoque partem eius validissimam, exporrecta, eidem insinuantur, ideo haemorrhoides externae, ob hocce impedimentum, difficilius quidem internis ad perruptionem venient; satis tamen bene earundem quoque fluxio succedere obseruatur, cauendum modo, ne quid incongrui ad corpus admittatur. Atque sic etiam haemorrhoides externae euadere possunt fluentes *c).* Quae cum ita se habeant, quod videlicet haemorrhoides vtraeque, tam internae, quam externae, mox fluentes, mox coecae fieri possint; hinc illi parum accurate loqui mihi videntur, qui fluentium nomen internis,

nis, coecarum autem externis ſolum haemorrhoidibus imponere ſolent. Quod porro ad materiam attinet, quae per haemorrhoides decolores, albas & ſerpiginoſas, egreditur, illam ſeroſae indolis eſſe, definitiones declarant, neque hoc a recto alienum eſſe puto. Per anguſtam enim & exiguam vaſorum haemorrhoidalium apertionem poteſtne quid aliud emanare, niſi quod fluidiſſimum foret in ſanguine? ſed hoc eſt ſerum. Haec quoque ab experientia confirmari, infra docebitur, quando de ſubiectis, ad haſce haemorrhoidum ſpecies pronis, ſermo erit. De haemorrhoidibus coecis iam dixi, quod tales eſſe poſſint non ſolum externae, vt vulgo putatur, ſed & internae, id quod etiam de tumentibus & turgentibus tenendum erit. Plures aliae adhuc ſpecies haemorrhoidum, inprimis externarum turgentium & tumentium, ab Auctoribus enarrari ſolent, vt ſunt haemorrhoides fungoſae, tuberoſae, criſtatae, morales, vuales, vlceraſcentes, *d)* quarum omnium vero differentia quum tantummodo ſita ſit in diuerſa figura, quam inflatae & tumefactae partes in haemorrhoidibus coecis, vel turgentibus, vel tumentibus, nanciſcuntur, hinc operae pretium haud fore iudicaui, haſce omnes haemorrhoidum ſpecies definire. Tandem etiam in annalibus Medicorum mentio fit haemorrhoidum per alias partes, quam loca haemorrhoidalia, e. g. per aures, per os, per veſicam vrinariam *c)*. Quum vero eiusmodi haemorrhagiae partium ex ſuis vaſis ſanguineis, quae rumpuntur, non autem ex vaſis haemorrhoidalibus, eueniant: tum neque proprie haemorrhoides adpellari poterunt, licet interim

 con-

contingere poſſit, vt, haemorrhoidibus fluentibus ſubito ſuppreſſis, vaſisque haemorrhoidalibus ingenti ſpasmo conſtrictis, ſanguis iam copioſe congeſtus verſus vaſa haemorrhoidalia, ad alia loca corporis transferatur, ibidemque vaſa ſanguinea vsque ad ſui eruptionem extendat. Sed tum haemorrhoides erunt cauſſa aliarum haemorrhagiarum. Cauſſa enim morbi a morbo ipſo probe diſtinguenda erit, alias enim vomitus cruentus, cui feminae hyſtericae perſaepe ſubiiciuntur, dici quoque poſſet menſium fluxus per ventriculum, vtpote qui frequenter oritur a ſpasmo vteri, & inde ſuppreſſo fluxu menſtruo.

b) *Illuſtr.* ALBERTI Tractat. *de haemorrhoidibus pag. 274. ſeq.* vbi de haemorrhoidibus coecis agitur.

c) *Idem loc. citat.*

d) *Idem loc. citat.* *Excellent.* IVNCKERI *Conſpect. med, theoret. pract. Tab. XII.*

e) *Synopſ. Obſeru. A. N. C.* ſub voce *Haemorrhoides.*

§. VIII.

Haemorrhoidum cauſae. Ad rite pernoſcendas cauſſas morborum multum facit, vt ſubiectum morborum, quantum fieri poteſt, accurate determinetur, atque omnia in eodem obuia phaenomena probe adnotentur. Huic regulae conuenienter & ego me geram in praeſenti tractatione. Solennioribus igitur haemorrhoidum ſpeciebus huc vsque explicatis, ad earundem cauſſas euoluendas iamiam progreſſurus, vt de indicando haemorrhoidum ſubiecto, ſingulisque in eodem phaenomenis, quae obſeruantur, decenter exponendis, antea ſollicitus ſim, neceſſe eſt.

Primum

Primum in praesenti §. alterum autem in sequenti praestare allaborabo. Sexus potior haemorrhoidibus magis, quam sequior, subiicitur: neque prius feminae tam facile haemorrhoidibus obnoxiae reddi deprehenduntur, quam vbi vel grauidae sunt, vel suppressionem, vel cessationem, vel alias ataxias catameniorum patiuntur *f)*. Plethorici, qui laute & opipare viuunt, Venere abutuntur, vitae sedentariae dediti sunt; vel qui corpus suum paulo violentius exercitant, e. gr. per efferas iustoque diutius continuatas equitationes; vel qui eiusmodi cibis & condimentis abutuntur, quae copiosum sanguinis ad intestinum rectum adfluxum proritant, cuius indolis e. gr. sunt fercula cepacea, alliacea, quotidianae illae deliciae Hungarorum, Iudaeorum, nec non remedia quaedam purgantia, quae aloë & alia resinosa ingrediuntur; tales inquam praecipue haemorrhoides experiuntur *g)*. Aetati porro virili, & quae illam consequitur, consistenti nempe & senili, haemorrhoides quidem magis familiares esse deprehenduntur; docet tamen experientia, ab hacce excretione nec iuuenes, nec infantes prorsus liberos esse. Illi enim vel determinationibus paulo ante descriptis, vel malo hypochondriaco obnoxii; hi autem atrophia, adeoque mesenterio laeso, laborantes, vtrique euadunt haemorrhoidarii *h)*. Vti tandem subiecta, de temperamento sanguineo & cholerico magis participantia, haemorrhoides siue internas, siue externas, vtrasque vero rite fluentes, frequentius experiuntur; ita phlegmaticis, adeoque sanguinem nimis pituitosum alentibus, nec non illis, quibus humores spissi sunt, contingere obseruantur haemorrhoides coecae,

 tumen-

tumentes, turgentes, decolores, albae, immo etiam ſerpiginoſae *i)*.

f) Conſ. Illuſtr. ALBERTI *loc. citat.* vbi *de haemorrhoidibus feminarum agitur. Synopſ. Obſeru. A. N. C. loc. cit.*

g) Illuſtr. ALBERTI *loc. citat. paſſim.* Excell. IVNCKER. *loc. cit. Tab XI ſeq.* Illuſtr. b. m. HOFFMANNVS *in Med. rat. ſyſtem. Tom. I. Sect. II Cap. VIII.*

h) Illuſtr. ALBERTI *loc. cit. Synopſ. Obſ. A. N. C. loc. cit.* Illuſtr. b. m. STAHLIVS *de haemorrhoidibus.*

i) Illuſtr. ALBERTI *loc. citat.* vbi *de haemorrhoidibus coecis & albis* tractatur. Excell. IVNCKERVS *loc. cit. Tab. XIII.*

§. IX.

Haemorrhoidum phaenomena.

Quod autem ad phaenomena attinet, quae circa haemorrhoides obſeruantur, illorum ſeriem ſequentem eſſe experientia docet. Haemorrhoidarii ſe primum quoad membra grauatos eſſe ſentiunt, horripilationibus haud raro intercurrentibus. Percipiuntur inde mox tenſiones in regione oſſis ſacri. Abdomen diſtenditur inflationibus, torquetur doloribus ſaepe atrociſſimis, ſub hypochondriis praecipue ſaeuientibus. Aluus haemorrhoidariis modo ſicca eſt, modo etiam laxa: illa moleſtiſſima abdominis compreſſione tandem ſoluitur, multis doloribus ſimul concurrentibus; huius autem exoneratio plerumque & dolorificis & teneſmoideis adflictionibus ſtipata eſt. Poſt, vel etiam ante prodeuntes ex aluo feces, portio quaedam vel ſanguinis, vel ſeri puri, vel ſanguine tincti, per anum ſecedit, atque hoc ſi contigerit, aegri aliquod leuamen a deſcriptis incommodis actutum perſentiſcent. Huius vero leuaminis expertes ſunt, qui vel haemorrhoides coecas, vel ſerpiginoſas patiuntur.

Illi

Illi enim ſub excretione aluina multo maiores dolores percipiunt, remittere neſcientes; hi autem magis intolerabilem pruritum experiuntur. Multiplici tandem experientia confirmatum deprehenditur, haemorrhoides coecas & ſerpiginoſas peſſima vlcera generare; fluentes vero, ſi forſitan ſubſiſtant, ſaeuiſſimos cruciatus in abdomine ceteriſque partibus excitare, vnde inflammationes & alii periculoſiſſimi morbi oriuntur *k)*.

k) De his omnibus conf. Illuſtr. ALBERTI *loc. cit.* Excell. IVNCKERVS *loc. cit.* Illuſtr. b. m. STAHLIVS *loc. cit.* *Synopſ. Obſ. A. N. C. l. c.*

§. X.

Vnde haemorrhoides oriantur?

Probe expenſis, quae §§. duobus proximis antecedentibus continentur, faciliori iam negotio haemorrhoidum cauſſam perſpicere licebit, quam §. praeſenti euolutam tradere animus eſt. Conſtat nempe ex §. VIII. quod ſubiecta ad haemorrhoides prona ſanguine abundent, adeoque ſimul procliuia ſint ad varias congeſtiones ſanguineas. Elucet praeterea ex §. antecedenti, haemorrhoidarios de membrorum grauitate ordinarie conqueri, eosdemque cohorreſcere, & mox deinde tenſiones in regione oſſis ſacri percipere, ne quid dicam de inflationibus & doloribus in abdomine, qui ſimul ſentiuntur. Iam quum omnis horripilatio dependeat a ſubita quadam regreſſione ſanguinis, ex vaſis periphericis ad vaſa partium internarum, vtique hinc ſanguis, facta horripilatione, ex vno loco, peripheria nempe corporis, ad alium locum, partes ſcilicet internas, magis transfertur. In iſto autem ſtatu corporis neceſſum eſt, vt partes internae

a ſan-

a ſanguine in easdem copioſius irruente inflentur, & ita ſaepe inflentur, vt tenſiones, immo dolores inde excitentur. Sed haemorrhoidariis abdomen inflatur & dolet, perferendae ſunt tenſiones in regione oſſis ſacri: procul dubio ergo ſanguis in iis ad dictas modo partes largius transfertur. Sanguis ad vas quoddam copioſius translatus idem illud ita diſtendere poteſt, vt eius orificium vel rumpat, vbi tum ſanguis neceſſario effluere debet; vel ſaltem propter impedimentum, orificio vaſis obiectum, paullulum, aut plane non aperiatur, tuncque tantummodo ſerum a ſanguine ſecedens ex vaſe excerni, & pars, cui vas orificio ſuo inſeritur, magis inflari debet. Iam vero haemorrhoidarii, ad ſellam citati, modo ſanguinem, modo ſerum excernunt; immo dolentem habent aluum, aut prurientem, quod §. antecedens enarrat. Quare, vt ſanguis haemorrhoidariorum ad vaſa inteſtini recti, adeoque haemorrhoidalia, copioſius transferatur, neceſſe eſt. Eiusmodi largiorem translationem ſanguinis ex vna parte ad aliam, *congeſtionem* adpellare, Medicis ſolenne eſt; ad vaſa igitur haemorrhoidalia in ſubiectis haemorrhoidariis fit ſanguinis congeſtio. Quum vero haec rationem in ſe contineat ſufficientem omnium phaenomenorum, quae in haemorrhoidariis obſeruantur, & quae §. antecedens exhibet, prout paullo ante demonſtratum erat: quis inde non videt, cauſſam haemorrhoidum proximam ſitam eſſe in congeſtione ſanguinis ad vaſa haemorrhoidalia. En! ſimul realitatem definitionum de haemorrhoidibus ſupra expoſitarum. Ex his iam porro colligere licebit, quod talia ſubiecta haemorrhoides prae aliis magis experiri debeant, quo plures cauſſas congeſtionum

num ſanguinis ad vaſa haemorrhoidalia admittant. Feminis adeoque vtero gerentibus, vel quibus catamenia ſuppreſſa, aut alio modo perturbata ſunt, haemorrhoides eueniunt (§.VIII.), quia ſanguis ad vterum congeſtus, ſed ibidem effluere neſcius, ad vaſa haemorrhoidalia, proxima (§. I.) transferri debet. Qui hypochondriis ſe male habent, aut quibus meſenterium laeſum eſt, in illis ſanguis per vaſa abdominalia admodum difficulter & inaequaliter progreditur, vt eiusdem congeſtio ad vaſa haemorrhoidalia eo facilius contingere poſſit, praecipue interna, vtpote ab arteria & vena meſenterica, ramis arteriae magnae & venae portae, exorta. Hinc patet ratio, cur hypochondriaci & infantes atrophici, haemorrhoidibus pluries ſubiiciantur (§. VIII.). Qui in caſtris Veneris frequentius militant, qui diuturnis equitationibus corpus ſupra modum concutiunt, illi congeſtiones ſanguinis ad vaſa haemorrhoidalia inuitant; hinc etiam haemorrhoides patiuntur (§. VIII.). Qui allio & cepis delectantur, aut corpus beneficio aloëticorum aliorumque remediorum, craſſa reſina ſcatentium, frequenter expurgare ſolent, illi eiusmodi quid corpori ingerunt, quod inteſtinum rectum haud parum ſtimulat, ibidemque congeſtionem ſanguinis excitat; atque ob hanc cauſſam haemorrhoidarii quoque fiunt (§. VIII.). Aetati tandem virili, conſiſtenti & ſenili, haemorrhoides magis eſſe proprias §. VIII. enarrat. Cuius rei ratio ibidem exinde petenda erit, quia in his aetatibus corpora proniſſima deprehenduntur, ad ſanguinem verſus abdomen magis congerendum *l)*. Quare hic iterum haemorrhoides ex congeſtione ſanguinis ad vaſa haemorrhoidalia

enaſcuntur. Satis adeoque certam haemorrhoidum cauſſam me indicaſſe exiſtimo.

l) Illuſtr. b. m. STAHLIVS, *de morborum aetatum fundamentis.*

§. XI.

Haemorrhoidum ſalubritas & incommoda.

Haemorrhoides praeterea, licet morborum generi iure meritoque adnumerari debeant, conuenientem tamen ſui perruptionem nactae, humorum quandam portionem corpori ſubtrahunt, adeoque aegros haud mediocriter leuare obſeruantur, ad quos ſanandos imminutione humorum opus foret. Eiusmodi igitur haemorrhoides, quando moderate proceſſerint, maniacis, hyſtericis, hypochondriacis, haud incerto ſolatio exſtitiſſe, perſaepe docuit experientia *m)*. Sed haec ipſa veritatis magiſtra quoque multoties commonſtrauit, haemorrhoides ſimul maxima damna corpori inferre. Illarum enim origo, quum deriuanda veniat a congeſtione ſanguinis ad vaſa haemorrhoidalia (§. anteced.); congeſtiones autem humorum, teſte experientia, haud raro triſtiſſimos effectus in corpore producant: non adeo mirandum erit, quodſi etiam haemorrhoides corpori magis nociuae, quam proficuae exiſtere poſſint. Immoderatius enim fluentes, vires eneruant, infarctus viſcerum generant; ſuppreſſae, id quod facillime fieri poteſt, in ſtaſin ruunt, partes inflammant, pernicioſas haemorrhagias efficiunt, aluumque lethaliter obſerant; ſerpiginoſae, partes ani exedunt, vlcera fiſtuloſa pariunt; coecae, furunculum ani concipiunt atque alia vix enarranda incommoda corpori creant. Tot tantorumque igitur morborum cauſſa eſſe poſſunt haemorrhoides *n)*.

Vnde

Vnde ſatis liquidum eſſe puto, quam anguſtis limitibus haemorrhoidum ſalubritas circumſcripta ſit.

m) Illuſtr. ALBERTI *loc. cit.* Illuſtr. b. m. STAHLIVS *loc. citat.* HIPPOCRATES *Libr. de haemorrhoidibus.*

n) Illuſtr. ALBERTI *loc. citat.* Excell. IVNCKERVS *loc. citat.* *Synopſ. Obſeru. A. N. C. loc. cit.*

§. XII.

Quum igitur ea ſit conditio haemorrhoidum, vt cauſſae vicem perſaepe ſubeant, a qua plures morbi, grauiſſimi momenti, in corpore generentur: diſpiciendum erit, annon alia via poſſibilis ſit, qua ſine vllo reſpectu habito ad haemorrhoidum productionem, illorum ſanitas, qui ad easdem inclinare videntur, perfecte redintegrari & denuo reparata conſtanter conſeruari queat? Hoc iam animo transgredior ad tractationis huius alteram partem.

CAPVT II.

De *Optima haemorrhoides ſanandi methodo.*

§. XIII.

SVblata cauſſa morbi, morbus etiam tollitur. Quod, quando a Medico praeſtitum fuerit, eundem tunc morbum ſanaſſe praedicamus. Ille igitur *haemorrhoides ſanare* dici poterit, qui efficit, vt earundem cauſſa tollatur. Sed cum haemorrhoidum cauſſa ſit congeſtio ſanguinis ad vaſa haemorrhoidalia, id docente §. VIII. hinc ille haemorrhoides ſanabit, qui hancce ſanguinis congeſtionem ad vaſa haemorrhoidalia tollet.

§. XIV.

Fundamentum methodi haemorrhoidibus medendi.

Methodus medendi abſoluitur complexu *indicationum*, quarum ope indicata inueniuntur, ita ad corpus humanum adplicanda, vt indicanti ſatisfiat. Erunt itaque hocce loco indicationes prius exhibendae. Quum igitur haemorrhoides a congeſtione ſanguinis ad vaſa haemorrhoidalia ortum ſuum trahant (§. X.), neceſſario tum fieri debet, vt haec nimium diſtendantur a ſanguine largius eo delato. In hoc autem ſtatu corporis ſanguis inaequaliter diſtributus eſſe debet, adeoque omnium maxime proſpiciendum erit, vt aequaliter per vniuerſum corpus diſtribuatur. Quia tandem vaſa, a ſanguine nimis diſtenſa, multum de robore ſuo naturali perdunt, hacque ratione inertia fiunt ad ſanguinem in illa irruentem vlterius propellendum, vnde continuus metus nouae congeſtionis relinquitur; hinc eo quoque inſimul eſt reſpiciendum, vt vaſis haemorrhoidalibus naturale ſuum robur reſtituatur.

§. XV.

Duabus itaque indicationibus methodus ſanandi haemorrhoides innititur, vt ſcilicet

I) *ſanguis in corpore aequaliter diſtribuatur*, &

II) *vaſa haemorrhoidalia naturale ſuum robur impetrent.*

§. XVI.

Indicata ad primam indicationem.

Iuxta primam indicationem optime proceditur, ſi ſubiecto plethorico tantum ſanguinis, congruo tempore & iteratis vicibus, ſubtrahitur, donec pulſus mollis comparuerit. Offerantur deinde aegro remedia, ſanguinem ſine eiusdem ingenti commotione blande reſoluentia. Quo nomine commendari merentur Tincturae alcalinae,

com-

commixtae cum liquore anodyno minerali HOFFMANNI, vel eſſentia millefolii non nimium ſpirituoſa; item liquida alia ſaponacea, interpoſito vſu ſalium neutrorum, cum nitro, cinnabari & bezoardico quodam fixo iunctorum: vtraque ex infuſo theeformi, quod ex radicibus temperatis reſoluentibus, cum herbis & floribus antiſpaſticis & moderate neruinis, parari poterit, propinanda ſunt. Aeger ſub vſu deſcriptorum remediorum in loco temperate calido obambulet, vel in lecto iaceat, vt blande tranſpiret corpus. Ad hunc ſcopum eo melius obtinendum, moderatae quoque frictiones, cum pannis calidis inſtitutae, apprime conducunt. Regioni oſſis ſacri adplicari poterit epithema ex diſcutientibus paratum. Aluo iniiciantur clyſteres emollientes, neruini, quorum beneficio non ſolum reſeratio eiusdem obtinetur, ſed & ſanguinis ad vaſa haemorrhoidalia congeſtio, mediante discuſſione, valde iuuatur.

§. XVII.

Quodſi tandem pars quaedam externa ani iam fuerit tumefacta, aut exulcerata, eidem tunc ſimul ſuccurratur remediis diſcutientibus, praecipue ſuffimigiis ex muribus marinis, vngulis equinis, nec non mundificantibus & conſolidantibus. Hisce omnibus ex aſſe peractis, indicationem primam adimplebis. Etenim nimia copia ſanguinis vsque ad pulſum mollem imminuta, facilior eiusdem fit circulatio, & tranſpiratio paullo poſt auctior fieri incipit. Duplex iſte effectus eo magis certiſſime promoueri & accelerari poterit, quando inſimul aeger probe ſibi commendatum habet vſum antea recenſitorum remediorum reſoluentium, neruinorum & antiſpasmodicorum. Sanguis

guis enim ita demum resolutus & fluidior redditus, promtius per vasa transgreditur, simulque facilius ad vasa peripheriae corporis deferri potest, vtpote ad quam insuper ope motus corporis, caloris externi & frictionum partium externarum, magis adhuc inuitatur. Quum porro discutientia, regioni ossis sacri adplicata, & clysteres eiusdem virtutis, ano immissi, sanguinis ex vasis haemorrhoidalibus refluxum promoueant, & partium exulceratarum sanatio caussam tollat noui adfluxus sanguinis ad eandem, nulla sane ratio praesto erit, cur sanguis iam fluidior redditus, atque ad peripheriam inuitatus, vasis haemorrhoidalibus pertinaciter inhaereret, nec posset aequaliter distribui. Minime igitur dubitandnm est, quin commendata indicata, ad implendam primam indicationem, sufficiant.

§. XVIII.

Indicata ad indicationem secundam.

Secunda vero *indicatio* optime impetrari poterit, quando aegro commendantur analeptica subacidula, Mixtura ex Eff. Cort. Cascarill. & Tinctura vitrioli martis Ludouici, nec non moderatissimus & prudens vsus vini cuiusdam generosi. Spectant etiam huc plura alia remedia, abunde iam ex materia medica cognita, quibus vis inest, tonum partibus solidis instaurandi, & quae pro subiectorum ac circumstantiarum ratione, prioribus vel subiungenda, vel etiam quandoque interponenda sunt.

§. XIX.

Regimen & diaeta haemorrhoidariis congrua.

Ne vero citatim recuperatae sanitatis iacturam faciant haemorrhoidarii, eo quam maxime respicere & adniti debent, vt constans quoddam aequilibrium fluidorum ad solida conseruent, & omnes caussas sedulo fugiant, a quibus humores valde commoueri atque ad loca haemorrhoi-

rhoidalia inuitari possunt. Nunquam igitur concedant, vt sanguis in corpore abundet; aut si forte id quacunque ex caussa eueniat, tempestiue eundem per venaesectionem imminuant. Omnium excretionum, quotidie alias succedentium, rationem habeant, & idcirco debitus corporis motus, potus tenuis, cibique facilioris concoctionis ipsis quam maxime sint commendata. Abusum autem Veneris & potulentorum spirituosorum, nec non omnia animi pathemata, cane peius & angue fugiant *o)*.

o) Plura alia praeclare huc pertinentia tradiderunt Illustr. ALBERTI *loc. cit.* vbi *de regimine & diaeta haemorrhoidariorum agitur*, nec non Illustr. b. m. HOFFMANNVS *loc. cit. Cap. XIV.*

§. XX.

Restare adhucdum videtur, vt methodi hactenus a me propositae praerogatiuam prae ordinaria indicem, quod antequam suscipiam, conueniet prius eandem breuiter delineare. Compluribus Medicorum quam maxime solenne est, vt in curatione haemorrhoidum, earundem fluxum omnibus viribus prouocare & excitare nitantur. Hinc praemissis praemittendis, (si caute & circumspecte agitur) tandem ad talia descendunt remedia, quibus haemorrhoidum fluxus proritari potest, siue illa fuerint interna, vt nostro aeuo decantatae, alias admodum securae, pilulae balsamicae Beccherianae, vel Stahlianae, aut maxime reformidandae aliae ex crassis aloëticis & resinosis stimulantibus concinnatae; siue externa, vt insessus calidi, fomentationes, hirudinum adplicationes, & id genus alia adminicula.

Methodus ordinaria, haemorrhoides curandi, quaenam sit?

§. XXI.

Quia itaque in methodo illa vulgari §. antecedenti

Cur vulgari

breuis-

methodo haemorrhoidibus medendi methodus tradita praeferri mereatur?

breuissime delineata, ea inprimis remedia seliguntur & omnibus aliis praeferuntur, quibus haemorrhoidum perruptio indiscretim vrgetur & promouetur, ideo huic quidem methodo tribuendum erit, quod illius ope (si res feliciter adhuc cedat,) nonnulla incommoda, iamiam forsitan diutius in corpore praesentia, mitigentur, simul vero etiam plura alia, interdum grauiora, eidem simul inferantur. Demulcetur enim hac ratione dolor in abdomine, remittunt tensiones in regione ossis sacri, producta nempe haemorrhoidum perruptione; sed hocce simul modo perpetua quaedam dispositio corpori inducitur & conciliatur, ad crebrius sustinendas eiusmodi congestiones sanguineas versus vasa haemorrhoidalia; vt de eo nihil dicam, quod non tam facile obtineatur & procuretur haemorrhoidum legitimus fluxus, quam quidem vulgo putatur. Praedominante itaque methodo tali vulgari, inconstans semper erit haemorrhoidariorum sanitas. Longe aliter vero comparata est methodus sanandi haemorrhoides hactenus paucissimis exposita: Haec namque regulam ostendit, iuxta quam haemorrhoidariorum sanitas, sine illa molestissima fluxus haemorrhoidalis prouocatione, constans perseuerare potest. Satis praeterea certus sum, hancce methodum ab experientia nunquam non confirmari.

§. XXII.

Epilogus.

Hac igitur via commonstrata incedant haemorrhoidarii, quibus sanitas curae cordique est. Potuissent de reliquo plura omnino remediorum genera in hoc capite, praedictis indicationibus adimplendis inseruientia, recenseri, nisi varias ob caussas breuitati studendum fuisset. Interim nihil etiam omisisse mihi videor, quod scopum istum salutarem praefixum vllo modo spectare & desiderari posse iudicaui.

TANTVM.